



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

11. A diabolo no[n] posse homines in bestias, aut bestias in homines
conuerti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris
Exululat, frustra q; loqui conatus ab ipso
Colligit os rabiem, solitaq; cupidine cadis
Vitur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.
In villos abeunt vestes, in crura lacerti,
Fit lupus, & veteris servat vestigia forma.
Canities eadem est, eadem violentia vultus,
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago est.

Quid. lib. 1.
Metam.

Et quod de Hecuba ----- Priameia coniunx
Perdidit infelix hominis post omnia formam,
Externaq; nouo latratu terruit auras.

Idem lib. 13.
Metam.

Item quod de Mida, qui Aures induitur lentè gradientis aselli.
Qualibus mutationibus pleni sunt Metamorphoseon libri;
immò & Homerus, & Virgilius, & alij Poëtae, qui de Vlyssis
socijs, à famosissima illa maga Circe in sues, sicut & Diome-
dis comites in volucres conuersi memorantur.

Ob hæc autem talia opus non fuisset, vt Gaspar Peucerus
Philippi Melanchthonis focer palinodiam caneret, & alij il-
lius asseclæ in eam sententiam descenderent. Verùm sicut à ve-
ræ religionis doctrina impiè descuerunt isti, ita & in Philoso-
phia varios incurrunt errores: quia intellectum de sede sua, in
qua eum supremus arbiter collocavit, deturbantes, principem
locum sensibus, quos rationi natura subdit, assignant. *Virtus
experientia sum?* ait Peucerus. Rationi, mi homo, cedere de-
bet sensus, cuius iudicia sæpe corrigit intellectus, qui errores
esse ostendit, quos oculi putant esse demonstraciones. Qui visu
solem metitur, communi rota dicit non esse maiorem; stellas
autem reliquas ne rotæ quidem æquiparabit. An igitur cen-
sendum est asserendumque, solè rotis, stellas pomis esse æqua-
les, dicendumque: *Virtus experientia sum?* nequaquam. Sicut
ergo diuina fidés humanam rationem; ita ratio sensum debet
regere. Antè, quàm igitur ad ea, quæ obiecta sunt, respon-
deam, rei veritatem breuiter explicabo.

X.

Sentio igitur primò, multa quidem de commemoratis
ficta & fabulosa esse, plurima autem contigisse, negari non pos-
se; immò quædam qui contra tot oculos negaret, impudens;
R r r r r
qui

XI.

qui contra diuinas litteras inficias iret, hæreticus esset. Horum autem quædã dæmonis ope & arte facta esse fateor; & mens est affirmare; vt doceam, mali spiritus arte non solum ipsum dæmonem, cum apparet, esse monstruosum, sed etiam ex alijs non possessis, monstra facere. Tota quæstio est de modo, quo id faciat ille Orcinus artifex. Sentio igitur secundò, neque dæmonem malum, neque ipsos etiam bonos Angelos pollere vlla vi naturali, qua ex subiecta materia substantiam aliquam perfectam producant, aut hominẽ in veram belluam, vel belluam in hominem, aut aliam belluã re ipsa conuertant. Quæ sententia non solum autoritate S. Augustini, sed etiam vnanimi consensu nititur Theologorum. Sunt pro ea verba Concilij Ancyrani ista: *De Domino nostro scriptum est, omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo credit, posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, infidelis est.* Per quæ verba non negatur, iuxta mentem Concilij, efficacia naturalium caussarum, sed dæmonum, de quibus ibi sermo erat, & de extraordinarijs immutationibus, quas se facere fingunt mali spiritus, qui ex rerum visibilium materia non possunt facere quod volunt, sed tantum id quod in virtute rerum à Deo factarum continetur, applicando actiua passiuus. Et quidem, ne hoc quidem ad libitum (quid enim non facerent?) sed quantum agere permittuntur duntaxat. Quanquam igitur boni Angeli multa faciant supra naturæ vim, ea tamen non sua virtute, sed diuina faciunt, vt sunt miracula. Malorum autem Angelorum operã, quidquid aut verè fit, aut fieri apparet, sufficienter fieri potest, agentia corporalia corporibus patientibus applicando. Vbi diferimen est animaduertendum inter ipsam transformationem, quæ semper delusoria est, & inter effectus eam comitantes, qui sunt verissimi, sed varij. Delusoriam esse ipsam transformationem, hoc est, ex homine, non verum lupum, veram felem, veram picam, aut aliud animal fieri, satis superque docet illa ratio, quòd anima humana singulari Dei munere interitui non sit obnoxia. Quæ igitur ratione homo in lupum, felem, ursum, bouem aut aliam bestiam mutabi-

S. Augustin.
lib. 18. de ci-
uit. c. 18.
S. Thom. 1. p.
q. 110. a. 2. &
Theologi in
2. dist. 7.

mutabitur à malignis spiritibus, vel, qui impotentiores sunt, magis? An lupi erga stulo includetur anima, lupi anima permanente? quo modo hæc duæ animæ se mutuò aspicerent? An non Philosophi docent, duas formas vno subiecto vi naturæ, inesse non posse? Quid verò, si duæ formæ vni corpori lupino insint, an dicemus, lupum ratione præditum, vel hominem, ratione earentem? Certè Philosophia tradit, ab anima humana, non posse, ex natura, informari corpus belluinum, cum quælibet forma substantialis, vt suum esse tribuat informando, requirat peculiare sibiq; conuenientes dispositiones, propriamq; corporis organizationem. Ob quam causam Aristoteles definit animam *actum corporis organici*. Quia igitur anima hominis in lupino, aut vsino corpore organis suis caret, nihil ipsa operabitur, nec idoneum possidebit habitaculum. In quod si vel maximè, tanquam incarcerem includatur, quò interea ibit corpus humanum? an alibi iacebit mortuum, & satan aliquis illud poterit ad vitam reuocare, quando volet? hoc nemo illi concesserit. An illud ipsum corpus humanum in lupinum vertetur? atqui hoc ipsum est, quod dicimus esse absurdum, vt anima hominis det esse lupi, & organis præcipuis alienis vtatur tanquam suis. Enimuerò, nonné hoc plus erit, quàm resuscitare mortuum, si eadem anima non solùm cum humano postea corpore denuo erit vnienda: verùm etiam corpus ipsum è lupino rursus in humanum reformandum. Quod si quis dixerit corpus solùm hominis ita mutari, vt lupinum fiat, & à vera lupi anima regatur ac possideatur; quero, quò interea anima hominis, à suo corpore diuisa vadat? An ad caeleste volat domicilium? nimirum anima sagæ aut venefici, mille titulis diabolo mancipata? Aut fortasse, quia infandis facinoribus contaminata est, ad vltices scelerum flammæ detrudetur? Esto sit facilis descensus Auerni, cuius verò Herculis virtute Cerberi custodiam effugiet, cuius ope auxilioque inde gradum reuocabit, superasque ad auras euadet? cuius vi se corpori coniungat? Et an non suppliciorum Auernalium recordabitur, vt se emendet? Nihil horum vidimus, nihil audiuius. Nugæ, somnia insanientium, non dogmata Philosophantium.

phantium. Si enim quis dicat, dæmonem id potesse, obstat velut murus vnanimis Theologorum consensus, qui hanc animæ cum corpore copulationem, nulli creaturæ, sed soli rerum vniuersarum creatori semper tribuerunt. Multò verò minùs quibit vllus diabolorum bestiam in hominis substantiam mutare. Nam si vel maximè concederemus (quod tamen non damus) eum è corpore lupi, aut ranæ, aut etiam è limo, imitatione quadam diuina, corpus humanum effigiare, vnde misellus accipiet animam immortalem? creabit? At jam hæretici, iam Priscillianistæ erimus, qui asserebant, Angelos malos figurare & efficere corpora humana in vteris mulierum. Contra quos decretus est in Concilio Bracharense iste canon. *Si quis credit, quòd aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, &c. anathema sit.* Vnde & Platonis sententiam, dicentis Angelos, seu secundarios Deos, res corporeas ex præiacente materia produxisse, ad Epicuri intermundia relegamus.

S. Leo ep. 97.
ad Turib. c. 8.

Conc. Brachar. 1, can. 8.

XII.

Quo igitur modo talia luporum, vrsorum, felium, rubetarum, aut bufonum similiaque alia bestiarum monstra ex hominibus facit Acheronticus artifex? Siquidem negari non potest, non solum putare magiæ peritos se in tales effigies mutari, sed etiam tales exoticè grassantes bestias videri, immò etiam sentiri in strage hominum pecorumque. Sentio tertio, sæpe talia monstra verè videri, verè sentiri, & quidem arte magica, licet nunquam tamen sine aliqua deceptione. 1. Aliquando diabolus magos & sagos aliò transportatos, vel domi relictos, altissimo somno sopit, insomnioque deludit, vt putent se ibi esse, vbi non sunt, & ea agere, quæ non agunt; cum interea ipse vel corpus lupi, vrsi, &c. ex aëre, aqua, aliaque materia formatum assumit; vel verum lupum, vrsum, &c. impellit, agit, excitat, trahit, ducit, vel in eo ipse facit, quæ sibi magi dormientes videntur facere. Si enim porcos Gerasenorum potuit ita agitare, vt in stagnum se præcipitarent, cur non posset & corpora luporum aliarumque bestiarum ita mouere, vel in propriam perniciem, vel in exitium aliorum? Talem cacodæmonis fraudem à Sancto quodam viro omnibus manifestatam recenset Guilhelmus Parisiensis. Et sæpe certò constabat, ta-

Luc. 8. 33.